



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio XI. Quotuplex sit relatio prædicamentalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

transcendunt rem; sed quia omnia prædicamenta percurrunt ad ea quæ pertinent, ea tamen prædicamenta communiter vocantur simpliciter absoluta, quia relativa simpliciter vocantur sola prædicamentalia, quapropter Divus Thomas *op. 48. tract. 5. cap. 1.* has relationes transcendentales vocat secundum dici, quia dicunt quasi primo per alterius prædicamenti, & quasi secundo habitudinem, sicut scientia ad obiectum, tamen illud genus relationis non proprie secundo competit rei cum sit essentialis; sed vocatur secundus, quia communiter non æque primo concipitur, ac res cuius est, v. g. ratio qualitatis in intellectu.

¹⁹ Quartum discrimen est, quod omnis relatio prædicamentalis petit terminum actu existentem, ita ut nec per potentiam Dei absolutam possit dari actualis relatio prædicamentalis, sine actuali termino. Ratio huius sumenda est ex ijs quæ supra dicta sunt de esse relationis prædicamentalis, videlicet quod relatio consistit in puro respectu, & non sit per se intentæ; sed mere resultans, & naturæ huius sic explicata colligo illam ut sic non posse esse, nisi supponatur fundamenti, & termini coexistentia, unde actualitas, & existentia utriusque ex qua ipsa resultat, & qua ablata desinit, tum quia non habet in rerum natura relatio alium productionis modum, tum etiam quia ob hanc solam rationem potest dici relationem per accidens fieri à natura.

²⁰ Relatio vero transcendentalis est huiusmodi, ut licet aliqua necessario petat terminum actu existentem, ut videre est in visione, visione, actione productiva, &c. quæ non possunt dari sine terminorum existentia, nihilominus non omnis relatio transcendentalis petit hoc, ut videtur est in relatione potentie ad obiectum, & scientie ad scibile, &c. & ratio est, quia non est de essentia potentie v. g. visive aut intellective, videre, & intelligere actualiter; sed posse videre, & posse intelligere; unde relatio transcendentalis illorum non petit terminum actualem; sed tantum possibilem, cum terminus relationis illarum potentiarum sit ipsum obiectum quod cognoscitur ab illis: atqui obiectum potentie non potest petere esse actuale: ergo nec terminus relationis transcendentalis talis potentie.



QVÆSTIO XI.

Quotuplex sit relatio prædicamentalis.

¹ **A**RT. 5. *met. cap. 1.* s. agens de prædicamento relationis illud in tria genera divisit ex triplici ratione fundandi.

² Primum genus est illarum relationum, quarum ratio fundandi est unitas, vel multitudo; sed hæc unitas non est propria unitas; sed potius est convenientia in aliqua ratione: clarius est esse hæc entitas, sicut alia in aliquo prædicato, sive accidentali, sive substantiali, vel ut alij explicant, est coexistentia duorum, ex quibus unum

habet aliquam rationem, sicut aliud habet illam, v. g. Petrus, & Paulus habent rationem fundandi relationem identitatis, quia conveniunt in essentia hominis, hoc est, ita Petrus est animal rationale, sicut Paulus, & ratione huius convenientie resultat in illis talis relatio similitudinis in essentia, quæ identitas dicitur; multitudo autem, quæ est alia ratio fundandi relationem huius generis, quæ & diversitas solet dici, nihil aliud est quam disconvenientia in aliquo prædicato, v. g. equus disconvenit cum equo in essentia, quia equus non est animal rationale, sicut homo; sed potius est animal irrationale, in quo opponuntur, & maxime diversificantur, & ratione huius disconvenientie resultant inter illos relationes diversitatis, quibus ad invicem referuntur, itaque in hoc genere relationum dantur hæc duo subalterna genera, v. g. quæ diximus unitatis, & diversitatis, & hæc alias species ulterius dividuntur, nam Arist. ait in unitate fundari in æqualitatem, similitudinem, & identitatem, eadem sunt inquit, quorum substantia est una; ecce relationem identitatis innixam in convenientia essentiali; equalitatem, quorum quantitas est una, ecce relatio æqualitatis confurgens ex convenientia inter quantitates, similia quorum qualitas est una, ecce relationem similitudinis innixam convenientia quantitarum, itaque inter duas qualitates conveniunt v. g. duæ albedines, resultat relatio similitudinis, & inter duas qualitates disconvenientes, ut inter albedinem, & nigredinem resultat relatio disconvenientie, & diversitatis inter alias qualitates eiusdem magnitudinis resultat relatio æqualitatis, & inter quantitatem maiorem, & minorem resultat relatio inæqualitatis; inter duas essentias convenientes resultat relatio identitatis, & opposita inter duas essentias non convenientes.

Adverte quod si detur propria unitas in fundamento proximo, v. g. si detur una numero albedo; si vero duo alba per potentiam absolutam, minime resultare posse propriam relationem similitudinis, & sic de cæteris quod probatur; nam ideo Divus Thomas ait non posse dari actionem similitudinis realem inter Divinas personas, quia datur una essentia numero in illis; sed inter duo subiecta datur una numero albedo; ergo non datur propria realis similitudo inter illa.

Secundum genus est cuius ratio fundandi est actio & passio, ut sunt omnes relationes causæ, & effectus, ut est filiatio, & paternitas, relatio creaturæ, &c. etiam huc reducuntur omnes relationes Magistri ad discipulum, & contra, servi ad Dominum, & Domini ad servum, mariti ad uxorem, superioris ad inferiorem, relatio autem effectus habet pro ratione fundandi passionem, relatio vero causæ actionem.

Tertium genus relationis, quod habet pro ratione fundandi mensurationem, & dependentiam, & quæ reperiuntur inter duas res, quarum una ab alia, tanquam ab obiecto specificante, v. g. videre est in potentia respectu obiecti, in scientia respectu scibilis, in hoc tertio genere assignat Arist. discrimen magnum, quod differt à cæteris, nimirum, quod in cæteris dantur alie quæ relationes mutue, alie vero non mutue; in hoc

Quæst. Vltima, quæ sint Proprietates &c. 833

hoc vero omnes relationes sunt non mutue, nam licet potentie referantur ad obiectum, obiectum autem minime refertur relatione prædicamentali ad potentiam, & sic est in scientia respectu seibilis, &c. quia autem mutuo non se respiciunt illa extrema, & solum datur respectus ex parte vnius extremi, dicuntur relationes non mutue, sicut in cæteris generibus, quia mutuo se respiciunt, ad invicemque referuntur, dicuntur relationes resultantes in extremis primi, & secundi generis relationes mutue.

Aliqui ut Pater Hurtado negant in hoc genere dari relationem prædicamentalem, quod aperte pugnat cum Aristotele, nam ipse agens de relatione prædicamentali divisit illam in hæc tria genera: ergo ex sententia Aristotelis hoc genus est relatio prædicamentalis, nam in bona divisione omnia membra dividendia participant divisum, nec valet dicere cum Hurtado scientiam scire esse de obiecto non existente, & esse relationem transcendentalem, eamque non indigere alia relatione.

7 Non inquam hoc aliquid momenti importat; nam scientia non dicit relationem prædicamentalem dum obiectum non existit, sed statim ac actuale est, & actu existit, resultat relatio prædicamentalis in scientia, quod convincitur evidenter; nam potentia generativa dicit relationem transcendentalem ad generabile, & nihilominus dum actu generat, & genitum actu existit, resultat in potentia generativa patris relatio prædicamentalis, & ibi potentia relata transcendentem ad generabile refertur relatione prædicamentali ad genitum, ita similiter scientia, quæ ad seibile, & intellectus ad intelligibile referuntur relationibus transcendentibus quando actu existunt, talia obiecta ad illa referuntur scientia, & potentia relatione prædicamentali, in quo nullum inveniri potest inconveniens.

8 Tandem aliqui volunt contradicere Aristoteli in hoc quod dixit, nimirum quod hoc genus relationis non dicat ullam relationem mutuum, ipsi enim asserunt tam mutuo se respicere scientiam, & seibile, ac Patrem, & filium: sed hoc falsissimum est.

9 Primo, quia omnis ratio obiectiva in qua debet fundari relatio est aut veritas, aut bonitas: sed veritas, & bonitas addunt supra ens solum negationem ut latissime probatum manet à me in metaphysica, & in negatione non fundatur positivus respectus: ergo nullum obiectum scientiæ, aut potentiæ dicit relationem realem ad potentiam vel scientiam.

10 Secundo, quia tota ratio quare in hoc genere datur relatio, est quia scientia, & potentia mensurantur, & specificantur ab obiecto, ab ipsoque dependent: sed obiectum nec mensuratur, nec specificatur, nec dependet à potentijs, & scientijs; ergo non dicant relationem ad illas, quod affirmat aperte Divus Thomas in 1. dist. 30. q. 1. art. 3. ad 3. & 1. p. q. 13. art. 7. estque hæc veritas tanta consensione recepta ut non liceat, ait Suarez, Philosophis in dubium revocari, ratio sumenda denique est ex peculiari specificationis, & commensurationis, quam habent potentiæ, habitus, & res similes ad obiecta sua, nam formaliter solum consistit in habitudine quam ex natura sua habent ad obiecta secundum quem ei commensurantur, obiectum vero in hoc nullam habet propriam causalitatem, sed rationem termini specificantis; nam licet aliqui possent esse movens, aut active aut finaliter, tamen ut extremum huius relationis sub nulla harum rationum consideratur, sed solum ut est id cui talis res commensuratur, sub hac autem ratione ipsum non concurret ut ordinabile ad aliud, sed solum ut id ad quod aliud ordinatur, & ideo ex vi talis rationis fundandi non oritur relatio in utroque extremo, sed in solo illo quod alteri commensuratur: hæc ergo de causa relationes huius generis ex propria ratione formali sui fundamenti non mutue sunt, quia tria sunt in his generibus quæ rationem causæ induat relationes, quæ in ipsis continentur, fundamentum nimirum, ratio fundandi, & terminus, ipsorum significationem opere pretium duxi explicare: fundamentum significat subiectum illud, ex quo resultat relatio, & in quo remanet intrinsecè, ut ipsum referat ad terminum, seu principium intrinsecum, propter quod una res aliam respicit; terminus autem significat rem illam extrinsecam, quam respicit, ratio fundandi est id quod præstat ut una res respiciat aliam, seu est ratio formalis propter quam resultat relatio in fundamento, v.g. in primo genere entitates Petri, & Pauli sunt fundamentum identitatis: convenientia, est ratio fundandi; entitas Pauli est terminus relationis Petri in secundo genere; substantia genita est terminus paternitatis, generatio activa est ratio fundandi, potentia generativa est fundamentum illius. In tertio genere entitas scientiæ est fundamentum relationis, mensuratio, aut dependentia scientiæ ab obiecto est ratio fundandi, ipsum obiectum est terminus illius relationis.



QVÆSTIO VLTIMA

Proprietates relationis adnumerantur.

QUATVOR proprietates assignavit Aristoteles relativis. Prima est habere contrarium, quod si intelligitur de propria contrarietate non ratione sui, sed ratione sui fundamenti debet intelligi hæc proprietas, nam relativa quatenus relativa sunt non habent contrarium, ut docet Aristoteles in prædicamento qualitatibus, & ratio est evidens, primo, quia contraria sunt, quæ ab eodem subiecto mutuo se expellunt; sed una relatio non est forma expellens aliam ab eodem subiecto, & fundamento; imo repugnat quod relatio siue distinguatur ex natura rei à fundamento, siue solum ratione informet, & afficiat fundamentum oppositæ relationis ob essentialem, & realem distinctionem relationis à termino; ergo relativa non sunt proprie contraria.

Secundo, quia contrariorum potest unum concipi sine alio, ut calor sine frigidityte; at vero relationes non possunt, sed licet hæc contrarietas conveniat relationibus ratione fundamenti, hoc non debet intelligi una respectu omnium relationum illarum, quæ in contrarijs qualitatibus